

Iam videamus de territorio. Ad meridiem pervenisse id ad Padum inde constat, quod *Hostilia* ad Padum (Plin. h. n. 21, 12, 43; Tac. hist. 3, 9), mansio a Verona distans XXXIII (Peut.) vel XXX m. p. (itin. Ant. p. 282), unde pedibus ibant Mutinam et Bononię (Anton.), navibus per Padum Ravennam (Peut.), hodieque Ostiglia, vicus dicitur Veronensem (Tacitus h. 3, 9 cf. 2, 100. 3, 14. 21. 40 et Plin. l. c.). Pauci tituli ibi reperti (n. 3245. 3721. 3758) cum nihil proprii habeant, cum Veronensibus contributi sunt. Inter Padum deinde et Athesim in locis, quas paludes Tartari fluminis nominat Tacitus (h. 3, 9), tituli plane deficiunt, ut non redeant orientem versus ante Sientam ad Padum et Villabonam et Badiam ad Athesim, de quibus supra p. 236 egimus, ad occidentem autem compareant inde a Gazzo (n. 3412. 3613. 3655. 3861) Correzzo (n. 3570) Cerea (3241. 3242. 3369. 3403. 3809. 3842a. 3876) Legnago (n. 3381. 3605), quorum titulorum qui tribum officiaque publica habent, Veronensem ponunt (n. 3381. 3403. 3412. 3570). Reperiuntur deinde tituli in planicie inter Veronam Mantuanam non ita multi, nimis in vicis Campalano, Filigare, S. Pietro di Morubio, Roverchiara, Isola Porcarizza, Ronco, Isola della Scala, Trivenzolo, Villafontana, Caselle, Volone, Zevio, S. Maria di Zevio, Vigasio, Nogarole, Mozzecane, Castel d'Azzano, Povegliano, Villafranca, Valeggio, Sommacampagna, S. Lucia. Fines inter Veronenses et Mantuanos ubi fuerint, tituli non satis declarant, cum praesertim ex locis a Mantua propriis remotis nullos habeamus; reperti in pagis supra nominatis non habent nisi Veronensis, ut n. 3366. 3415, sunt autem privati omnes, sacri pauci, plurimi sepulcrales. Nos ad Mincium substitimus, quae in sinistra ripa eius inventasunt seorsum proposituri. — Deinde ubi nos convertimus ad ripam Athesis sinistram, cum Atestinorum territorium secundum supra (p. 240) demonstrata ad Porcile usque excurrat et Lobiam, hoc loco ut certum est terminum fuisse inter Atestinos et Vicetinos, ita probabile trifinium adeo fuisse inter hos duos populos et Veronenses; nam quidquid inde reperitur occidentem versus, his videtur attribendum esse. Quo pertinent tituli reperti in vicis S. Bonifatii, Villanova, Villabella, Soave, Caldiero, Colognolae Montecchia di Crosara, Cazzano, Illasi, Celore d'Ilasi, Tregnagi, deinde Montorienses et

per proximos pagos Lavagno, Marcelise, Mezzane di sotto, Mizzole, Pigozzo, S. Maria delle Stelle dispersi, ut mittam eruderatos in ipsis suburbanis Veronensem. Quidquid in his adest rei publicae indicia certa subministrans, Veronam spectat; ut n. 3282 Villanovensis, quoniam idem homo nominatur in n. 3302 Mezzanensi, ut Colognolensis n. 3341. Ex his Caldierenses tituli (n. 3372. 3696. 3702) et numero pauci sunt neque quicquam continent, quo fuisse ibi thermas ea aetate confirmes; nam n. 3344 Caldiero tribuitur fraude, ut mittam titulos inde prolatos ficticios. Primum autem locum obtinent in his partibus Colognolenses; nam Colognolae non solum reperti sunt praeter sepulcrales sacri multi numinum diversorum (n. 3217. 3224. 3261. 3265. 3266. 3268. 3300. 3314. 3317. 3321), sed cum habeamus inde titulum sacrum cum formula *loci dati publice* (n. 3217) alterumque honorarium n. 3341 civi dedicatum a plebe Veronensi, ibi aedes sacra fuerit necesse est ab ipsa re publica Veronensem facta. Illasienses et Montorienses item numero multi ostendunt hanc regionem ut nunc ita olim multos divitesque incolas habuisse; sed nihil habent publicum vel quasi publicum, nisi fortasse duo tituli Montorienses n. 3310. 3311 cum quinis nominibus ingenuorum nude recto casu positis ad tale quid spectaverunt. Spelaeum quod adhuc superest in pago S. Mariae Stellarum (n. 3318) omnino privatum fuit. Post Grezzanam Romagnanum Tregnagum tituli deficiunt neque ex late patente regione hac praeter dubium n. 3750 habemus adhuc nisi unicum titulum n. 3349 repertum ad S. Vitalis in Arco. — Quae sequuntur ad occidentem inscriptiones vallis Policellae plurimae et memorabiles praeter suburbanas, scilicet inventas in pagis Quinzano Parona Nassar Arbizzano Corubbio Pescantina Arcè, separavimus; nam quamquam certum est haec pertica Veronensem comprehensa fuisse neque quicquam ibi reperitur quod ad rem publicam spectet nec sit Veronense, tamen quae ad sacra pertinent ita comparata sunt, ut seorsum proponenda esse videantur. — Separavimus item quae prodierunt in ripa orientali Benaci ad Athesin usque. — De pagis Veronensem, qui ubi fuerint constat, Arelicensium Arusnatium Claudiensem cum suis locis egerimus, *pagum Veratianum?* n. 3249 non habemus quo referamus.

**3217** Colignolae al piano in S. Maria de la chasa da Lara in uno gradilo GAMM. Tutti i tre pezzi sono in linea seguente e servono di primo gradino nel presbiterio della Pieve vecchia PEVERELLI. Nell' aja del cammino della casa del rettore vidit prioris exempli partem extremam c BERTOLDI. Posterioris pars b extat ibidem in hortis Nichesolae.

I. a            b            c  
L·POSTVMIVS·FACILIS·T·KAREIVS·VALENS·LINTIONES·APOLL·D·P·S·D·L·D·P

II.                a                b  
VS·FACILIS·LINTIONES·APOLL·D·P·S·D·L·D·P

Ego vidi II b. — Titulum n. I habet Antiquus, scilicet Felicianus n. 136; Marcanova Mut. f. 127<sup>r</sup> agri n. 46 (inde Sirmondus cod. 1418 n. 92); Ferrarinus f. 26; Redianus f. 63<sup>r</sup> n. 22; Gammarus f. Trev. 3; Lilius f. 45; Iucundus f. 195 n. 83; Sanutus f. 73<sup>r</sup>; Apianus 330, 4; Sarayna Lat. f. 51<sup>r</sup>, Ital. f. 73<sup>r</sup> (inde Panvinius p. 222; Grut. 38, 15 e Sarayna et schedis Panvinii). Denuo ex lapide Manutius cod. 5235 f. 5, qui habet et I et II totam; Palermus p. 49, qui non habet nisi n. I, eodemque exemplo Velseriana f. 4<sup>r</sup>. 8; Peverellius (ms. et apud Ortium gente Sertor. p. 57), qui refert I, a. c. et II b; Bertoldi, qui vidit I c et II b.

V. l. dabo integrum quinque primorum ex antiquis, Manutii, Palermi, Peverellii, Bertoldi. — ‘Solo in una riga’ adscripserunt Gamm. Lil.; ‘uno versu oblongo’ Pal.; vide supra Peverelliana. — I FACILIS Ant. Man., DOCILIS Pal., LIS Pever., LIS Bert. — TV·KAREIVS Pever., T·V·KAREIVS Redianus, T·V· (om. KAREIVS) Manut., decepti opinor puncti forma. — LINTIONES plerique, LINTIONE/ Manut., LVITIONES Iuc., LINTEONES Panvin. — II QLL Pever., ATQV pro APOLL Man. — D·P om. Man.

L. Postumius Facilis T. Kareius Valens lintiones Apoll(ini) d(e) p(ecunia) s(ua) d(ederunt), l(oco) d(ato) p(ublice).

**3218** basis, rep. quarto a Verona lapide nella chiesa di S. Maria Bonalbergo, deinde in museo Moscardiano MOSCARDUS. Inde ab a. 1817 prostat in philharmonico. — In pago S. Mariae delle Stelle repartam esse scribunt VENTURI et SIAUVE; eiusmodi titulum adhuc extare in pago S. Mariae delle Stelle PERSICO 2, 145; puto falli omnes, certe Persicum.

BONO  
EVENTO

Contuli. Habent Moscardo stor. (1668) p. 24, mus. p. 377; Mur. ms. et 92, 1 ex schedis suis (inde Orelli 1783); Dionisi f. 10; Venturi descr. di un sotterraneo p. 8; Siauve in epistula ad Viscontium (cod. Paris. Visc. 7 f. 311); Osann p. 550. Temere damnat Maffei ars crit. p. 196.